

Ecclesie
tribula-
tiones à
Christo
prenun-
ciata.

eclesia in eo significatur quod nauicula quam dominus ascendit, motu maris iactabatur, & fluctibus operiebatur, domino dormiente. Quid enim per nauiculam, quam dominus ascendit, recti? quam ecclesia catholica significatur? quam etiam olim prima illa nauis arca scilicet Noe sola in diluuiò saluata figurabat. Arca enim inferius lata, vbi animalia immunda, & bruta continebantur, versus sursum angustata pro paucitate rationalium animalium ibi habitantium, tandem ad cubitum vnù consummata est. Ita secundum Greg. homil. 16. in Ezech. Ecclesia, quæ bonos, & malos recipit, lata est in ea parte, vbi peccatores consistunt, qui in cùctis immunditijs velut bruta animalia sine ratione viuunt. Stricta autem vbi iustos secundum rationis dictamen, & legem Dei viuentes continet. In Christo verò summo capite consummatur, à quo omnis sibi influitur sensus, & motus, cognitio scilicet vera fidei, & gratia principium actus meritorij. Quod significabat vnus ille cubitus in summitate arce. Ascendit itaque in hanc nauiculam dominus Iesus, dum per incarnationis mysterium ecclesiã sibi copulauit, factus caput eius, sicut ait apostolus ad Eph. 5. Christus caput est ecclesie, ipse saluator corporis, qui semetipsum pro illa tradidit vt illam sanctificaret. Et sequitur, quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & ossibus eius. Huius nauiculae fluctuatio futurae ecclesie turbationes multiplices designabat, quas velut ventus mare, ita spiritus malignus commoturus erat. Ipse suscitauit tyrannos huius mundi principes in persecutionem fidelium, dehinc hereses multifarias suggestit. Nunc verò prauis moribus eorum, qui intra ecclesiam videntur conturbare, non cessat. Quæ omnia futura dominus clare prædixit. Nam de persecutione Tyrannorum, & Hereticorum locutus est dominus Matth. 24. & apostolus per totum, ait enim: Tradent vos gentibus, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter no-

men meum. Et quantum ad hereticos sequitur: Surgent multi Pseudoprophete, & seducunt multos. Et quantum ad eos, qui prius moribus seducuntur, sequitur: Et quonia abundanti iniquitas refrigescet charitas multorum.

Verumtamen in nouissimis temporalibus omnia simul persecutionum genera coaceruabuntur, sicut clarius prædixit apostolus 2. Tim. 3. In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemij, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incognitantes, immites, sine benignitate, proditores proterui, tumidi, voluptatum amatores magis, quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuota. Et ca. 4. Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prouidentes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Et. 1. ad Tim. 4. ait: Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis demoniorum in hypocrisis loquentium mendacium &c. Hæc in quæ tempora nos apprehenderunt, quia sicut apostolus idem ait, nos sumus, in quos fines seculorum deuenerunt. Ecce surrexerunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemij, sanctæ romanæ ecclesie inobedientes, proteruissimè rebellantes rebellionè prius inaudita, vt publico edicto ausi sint prohibere, ne aliqua mandata summi pontificis recipiantur &c. Hi corruptis moribus multos seduxere mundanorum similitudo loquentibus &c. coituntur. Et vt nihil vniuersæ persecutionis deficiat potentia, & armis, rapina, & incendijs, minis, & verberibus, ad sui errorem conpellere contra omnem iustitiam, & iuris ordinem tyrannicè moliantur. Ecce grauem

In nouis-
simis te-
poribus
omnia p-
secutio-
nũ gna
in eccle-
sia coa-
ceruabũt